

Justus Christoph Schomer Jacob Winnemer

Scrutinium Theologicum Arcanorum Jhovae, Quae Deuteronom. XXIX. Commate 29. Revelavit Moses

Rostochii: Weplingius, 1690


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74995325X>

Druck Freier  Zugang



RU theol 23.Sept. 1690

Schomerus, Just. Christ^{fc}



I. N. J.
 SCRUTINIUM THEOLOGICUM
ARCANORUM
JHOVÆ,

QUÆ
Deuteronom. XXIX.

Commate 29.
 Revelavit Moſes;

Loco

DISPUTATIONIS INAUGURALIS,
 Juffu Venerandæ Facultat. Theologicæ,
 IN ALMA ROSARUM
 SUB PRÆSIDIO

VIRI SUMME REVERENDI, AMPLISS.
Atq; EXCELLENTISSIMI,

DN. JUSTI CHRISTO-
PHORI SCHOMERI,

Doctor. ac Professoris Theologi celebra-
 tiſſimi, Conſistorii Ducalis Aſſeſſoris, & Superinten-
 dent. Mecklenb. vigilantiffimi,

Ad d. 23. Septembr. M. DC. XC. horis ante 8 pomerid.
 IN AUDITOR. MAJ.

Pro impetrandis ſummis in THEOLOGIA honori-
 bus, & privilegiis DOCTORALIBUS
 Publico Eruditorum Examine ſiſtit

JACOBUS WINNEMERUS,
 ad Div. JACOBI, quod *STETINI* eſt, ARCHIDIACONUS.

ROSTOCHII, Formis JOHAN. WEPPLINGII, Acad. Typogr.

IN
SCRITUM THEOLOGICUM
ARCANORUM
IHOVAE

Quaestio XXIX.

Comitatus

Revelavit Moses

Loco

DISPUTATIONE IN ALCANTARA

Johann Veneranda Facultate Theologica

IN ALMA ROSARUM

SUB PRESIDIO

MAGISTRI JOHANNIS VENERANDI AMPLISSIMI

AD REVERENDISSIMUM

DR. JUSTI CHRISTO-

PHORI SCHOMERI

Doctor ac Professor Theologiae celeberrimus

et Ordinarius Dignus Altorfensis

et Medici

et Auditor MA

et in Theologia honoratus

et in Theologia Doctor

et in Theologia

JACOBUS WINNEMERUS

et in Theologia Doctor

ROSTOCKI JOHANNES WEPPINGER ACAL. TYP. G.



Jesu Virtute Valebo!
 Scrutinium
 ARCANORUM JEHOVÆ,
 Quæ revelavit Moses
 Deuteron. XXIX. v. 29.

D Lacet publicæ Disputationi & Examini, ex Decreto *Veneranda Facultatis Theologica*, subjicere illud Mosaicum Deut. XXIX. v. 29. de *Arcanis Jehovæ*, quod ab Interpretibus diversimodè explicatur, & scrutari, quænam illa sint Arcana; num *decreta DEI* de salute hominum, aut *alia ejus judicia hominibus non revelata*, & an *distinctioni Calvinianæ*, quâ *abscondita & revelata DEI voluntas sibi opponuntur, presidium in eo loco constitutum sit*. Ne autem curiosè & illicitè inquiramus in abscondita, nec ingrati fastidiamus aut negligamus aperta, juxta auream illam *Ambrosii lib. 1. de vocat. gent. cap. 7. regulam: Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt negligenda: ne in illis illicitè curiosi, & in his damnabiliter inveniamur ingrati*; **ADSIT SPIRITUS SANCTI GRATIA!**

A 2

MEM-

MEMBRUM I. Exhibens Textum Authenticum cum Versionibus variis.

I.

Textus sacer in *Codice Hebræo*, præter vocales & accentus, extraordinariis quibusdam punctis notatus, apparet hoc modo: **הַנְּסִתָּהּ לַיהוָה**
אֱלֹהֵינוּ וְהַנְּגִלָתָהּ לָנוּ וְלִבְנֵינוּ עַד-עוֹלָם לַעֲשׂוֹת אֶת-
 :אֱלֹהֵינוּ וְהַנְּגִלָתָהּ לָנוּ וְלִבְנֵינוּ הַחֹרֶקֶת הַזֹּאת
 Puncta hæc extraordinaria, quæ vocibus לָנוּ וְלִבְנֵינוּ incumbunt, & symbolica dici solent, in omnibus quidem editionibus apparent, sed multum variant numerô, dum aliæ quatuor, aliæ sex, decem, undecim habent.

II. *Chaldaea, Græca, & quædam Latine* Versiones, ut inprimis *Aria Montani*, ordinem verborum Hebræorum pressius sequuntur, nec quæ circa sensum controversa sunt, definiunt. Sic n. *Chaldaea*: **דְּמַשְׁמַרְתָּן קִרְמֵי יְיָ אֱלֹהֵינוּ**
וְדִגְלִיוֹן לָנוּ וְלִבְנֵינוּ עַד-עוֹלָם לְמַעַבְרַת יוֹת-כָּל-פְּתוּסֵי
אֲוִרֵתָא הַרְא i. e. *Que occulta sunt coram Domino DEO nostro, & quæ manifesta sunt, nobis & filiis nostris usq; in seculum* &c. Et *LXX. viralis*: τὰ κρυπτὰ καὶ τῶ θεῷ ἡμῶν, καὶ τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ καὶ τοῖς τέκνοις ἡμῶν εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ τοῖς παῖσι τοῖς ἡμετέροις τῶ θεοῦ πάντα τὰ ἀκρυβήματα. *Aria Montani* taliter: *Abscondita Domino DEO nostro, & revelata nobis & filiis nostris* &c.

III. *Tigurina, Juniana, Pagniniana*, abscondita à revelatis distinguunt; Nempe ista his verbis: *Abscondita Domino DEO nostro, revelata verò ad nos & filios nostros (attinent) dum durat seculum, ut faciamus omnia verba legis hujus.* Illa sic: *Que occulta sunt, penes Jehovam DEum*

DEum nostrum sunt: & quæ revelata, nobis & filiis nostris usque in seculum &c. Hæc ita: Abscondita, Jehova DEI nostri sunt; & revelata, nostra sunt & filiorum nostrorum usque in seculum &c. Item Belgica Calvinianorum: De verborgene Dingen zyn voor den Heere onsen Gott: maer de geopenbarede zyn voor ons ende onse Kinderen &c: Vulgata verò, abscondita & revelata pro iisdem habet, dum ita textum reddit: Abscondita Domino DEo nostro, quæ manifesta sunt nobis & filiis nostris &c.

IV. Vulgata sequitur *Versio Lutheri*: Das Geheimnis des Herrn unsers Gottes ist offenbahret/uns und unsern Kindern ewiglich / daß wir thun sollen alle Worte dieses Gesetzes. Cui consona est *Interpretatio Latina*, quæ legitur in *Commentario ejus Tom. 3. Jen. Lat. p. 149. b.* hõc modò: *Mysteria Domini revelata sunt, ut faciamus universa Legis hujus.* Sed eò minùs placet Calvinianis, quò magis hi in his verbis argumentum quærunt, quod absolutæ prædestinationi subjiciant, unde factum ut hanc Versionem **LUTHERI**, tanquam intentioni ipsorum adversam, erroris palàm accusent.

V. Adstipulantur facilè suo *Luthero* ii *Interpretes*, qui sunt è *Schola B. Patris*. Sic *Joan. Forsterus*, *Augustanus*, *Theologus Witebergensis*, *Lutheri* in versione *Bibliorum* succenturiator industrius, cujus & iudicium in hoc Opere *D. Lutherus* cæteris sæpè prætulit, (inquit *Melchior Adami* in *Vit. Theologor. p. 305.*) In *Dictionario Ebraico* sub rad. *גלה* p. 143. reddit: *Et abscondita DEI nostri etiam revelata nobis & filiis nostris.* *Lucas Osiander* in *Commentariis Bibliicis* ita: *Abscondita Domini Dei nostri, manifestata sunt nobis & filiis nostris &c.* Nequè hanc Versionem *Parentis* correxit *Filius Andreas Osiander* in *Bibliis*, quæ postea cum annotationibus succinctis, ex

clarissimorum non solum Theologorum orthodoxorum commentariis ac disputationibus, sed & ex sanctissimo *Concordia Libro* edidit. Retinet hanc omnino *Job. Adamus Osiander* in Commentario, subjungitque brevem Exegetin: *Abscondita Jehovæ DEO nostro, seu quæ penes Jehovam DEum nostrum occulta sunt, & hæcenus gentibus abscondita, quomodo sc. Deus noster colendus, & revelata seu manifestata sunt nobis & filiis nostris &c.* Refert ejusmodi Translationem summus Theologus *David Chytraeus*, in *Comment; Secreta seu Mystera Domini DEI nostri, seu Abscondita apud Dominum DEum nostrum (sunt), At manifesta nobis & filiis nostris.* Nec displicet Aliis quamplurimis Lutherana hæc Versio. *Pfeifferus*, in *dubiis Vexatis* pag. 318. secundum contextum optimè eandem fluere scribit, si ita reddatur *Oculta apud Dominum nostrum, sed in tempore revelata sunt nobis & filiis nostris &c.*

VI. Non averfari semper hanc Lutheranam Versionem ipsos peregrinæ fidei ac doctrinæ Professores & doctores, probè scimus & observamus. Fatentur idem *Tigurini* in *Versione* sua in margine. At planè cum *Luthero* facit *Sebastianus Munsterus*: *Secreta Domini DEI nostri, revelata sunt nobis & filiis nostris &c.* Et *Conradus Pellicanus* ita vertit: *Abscondita Domino Deo nostro, sunt revelata nobis & filiis nostris &c.* Nec à *Luthero* abit *Christophorus Pelargus*, Superintendens quondam *Marchiæ Generalis*, Theologus *Francofurtanus* ad *Oderam*, primùm noster deinde *Calvinianorum*, in *Comment. b. l.* Eandem *Lutheri* Versionem in *Belgica* quadam translatione reperiri, fatetur ipse *Sixtinus ab Amama* in *Anti-Barbaro Bibl.* scilicet: *De Heymelichheit des H Erren onses Gods is onsh ende onse Kinderen gheopenbaert eenwichlick.*

VII. Sunt

VII. Sunt tamen nonnulli & ex Lutheranis magni nominis Viri, qui aliter textus ebraici sententiam exponere volunt. Sic *Glassius in Philol. Sacr. Lib. IV. Tr. 2. obs. 6. Not. 1. pag. m. 679. Occulta sunt* לַיהוָה דּוֹמִינִי: *sed revelata* לְבָנֵינוּ לְבָנֵינוּ *nostra sunt, & filiorum nostrorum.* Quæ Translatio minimè etiam displicet *Micralio Lib. 1. de Prædestinatione, Cap. VII. §. 13. pag. 339. Incomparabilis noster Dorschaus, contra Triglandum Dissert. 1. sect. 1. cap. 1. pag. 59. meminit NON NEMINIS ex AMICIS suis, cui hunc sensum verborum (Quæ occulta sunt, penes Jehovam DEum nostrum sunt; at quæ revelata &c.) probari sciat, hinc nec se illum omnino improbare asserit. Addimus Theodoricum Hackspanium, Theologum ac Philologum in Academia Altdorphina celeberrimum, & videantur ejus Notæ Philol. Theolog. Part. 1. p. 600. It. Miscell. Lib. 2. cap. 5. §. 3. pag. 214.*

MEMBRUM. II.

Proponens veram dicti Explicationem.

I. Verè Jesuitica vox est illa *Jacobi Bonfrerii*, dum in *h. l. Obscura ait sententia, nec patet quò spectat.* Facilis enim istis hominibus est de quocunque textu desperatio, qui Sacram. Scripturam omninò obscuram, omniaque & singula, (sic loqui amant *Jesuitæ Coloniaenses in Censura Cascebismi Monbemi ad artic. 1. pag. 117.*) quæ in ea comprehensa, obscuritatibus involuta esse affirmant; de quâ Pontificiorum thesi legantur *Cbemnitius in Exam. Conc. Trid. part. 1. de Epistol. Apostol. p. m. 101, 102. Leonhardus Hutterus in Controvers. de Verbo DEI, Diss. 5. th. 37. & 38. Himmelius in Mateolog. Papistic, Diss. 3. th. 23. pag. 62. Danbau-*
werus

verus in Hodomor. Spir. Papaj pag. 80. Haberkornius in gründlich Bertheid. Göttlicher Wahrheit / artic. 1. pag. 165. Calovius in System. Theol. Tom. 1. cap. IV. theor. 4. pag. 468. & sect. 2. qv. 12. pag. 630. Hannekenius in Exam. Manual. Becani Cap. 1. Qv. 4. p. 51. seqq. Sed hæreticorum esse proprium, obscuritatem Scripturarum arguere, cum Irenæo lib. 3. cap. 2. dicimus.

II. Ex nostratibus tamen, sed aliâ mente, etiam D. David Chytraeus obscuritatem in hoc loco notat, vid. ejusd. Enarrat. pag. m. 134. addit autem, quod locus fit obscurus *non commonefactis*. Obscuritatem ergò concedit, non in *objecto cognoscendo*, sed in *subjecto cognoscente*. Obscurum pronunciat effatum sacrum, non *κατ' αὐτὸ in se & ex se*, sed *κατ' ἀλλο* seu *respectu hominis imperiti*. Adeò non aliquod vitium in divinâ sententiâ notare vult, sed acuere tantum industriam lectoris, ut ad vim verborum diligentius attendat. Rectissime; neq; enim potest dici locus obscurus propterea, quia Interpretes ac Commentatores non conveniunt in eo explicando. Ingens enim ista disconvenientia non oritur ex *natura rei* i. e. ex involucro verborum; sed tum *ex preconceptâ dissidentium opinione*, tum *ex eorum pertinaciâ in suis opinionibus ac erroribus defendendis*, tum *ex neglectu legitimorum mediorum τῆς ἰσχυρίας &c.* Dicimus quod res est: Si circalocum nostrum observetur scopus ac intentio Spiritûs Sancti, ponderetur phrasis, expendatur præcedentium ac sequentium junctura, & cohærentia textûs, & ad ἀναλογία fidei exigatur interpretatio; Omnis illa *apparens* obscuritas & difficultas facillè discutitur, & verus sensus per DEI gratiam eruitur.

III. Diversissimas Interpretationum atque Explicationum varietates & sententias de effato hoc Mosai-
co, col-

Mosaico, collegit olim Pelargus in Commentario, quas hōc loco repetere non supervacaneum ducimus. Verba illa (inquit) alii ad exaggerationem ingratitude pertinerere existimant, ut non injuria tali supplicio digni censendi sint, qui voluntatem DEI revelatam ante oculos habuerint: Servum enim scientem & non facientem, duplo vapulare ex 12. Luca v, 47. Alii acclamationem volunt esse latam populi de revelato DEI sedere sibi gratulantis: Alii præoccupationem, unde gentes judicium DEI agniture sint, ex Legibus nimirum promulgatis: Alii transitionem ad Caput sequens, quo Deus respicientibus veniam in Christo paratam fore revelavit. Alii ad distinctionem referunt pœnarum, ut quod occulta scelera divino judicio reservanda sint, ab hominibus manifesta puniri oporteat: Alii aliter accommodant. Etc.

IV. Peculiaris est explicatio Judæorum, qui de pœna duplici delictorū, divina & civili, versum hunc intelligunt, quod nempe occulta divino judicio permittenda sint, manifesta ab hominibus puniri debeant. Ita *Aben Esra*:

והמעם מי שיעבור עז כסתר לוי אלהינו והמעם פי משפטו כיד השם והוא יפרע ממנו ואם היתרה כגלוי חיוב Sensus est, quod qui clām idololatra est, Domino DEO nostro sit, id est, quod divino judicio subjectus sit, qui ultionem ab ipso sumet, si vero manifestus fuerit, nostrum & filiorum nostrorum est, ut statuamus de eo sicut Scriptum est in Lege. Et plenius *Raschi* his verbis: ואם תאמרו מה בדינינו לעשות אחה מעניש את הרבים על הרחורי יחיד שנאמר פן יש בכם איש וגו' ואחר כך וראו את מכות הארץ תהיא ולא אין אדם יודע פמונתיו של חבירו אין אני מעניש אתכם על הנסתרות שהן לוי אלהינו והוא יפרע מאותו יחוד אבל הנגלות לנו ולבנינו לבער הרע מקרבנו ואם לא נעשה דין בהם יענשו ארת הרבים:

B

הַרְבִּי hoc est, quod si dixeritis: an in nostra potestate est
 id efficere? reum agis populum ob unius cogitationes, quia
 scriptum est v. 18. ne sit inter vos aliquis &c. & postea v.
 22. & videbunt Calamitatem ejus terra &c. an non igno-
 rat homo arcana alterius? non sanè ego vos reos ago propter
 occulta delicta, quorum cognitio DEO reservata est, qui pœnas
 ab illo occulto peccatore sumet. At quæ manifesta sunt, ad nos
 & filios nostros pertinent, ut malos è medio tollamus & ni
 administrabimus justitiam, omnis populus reus erit. Non ab-
 surda quidem est isthæc explicatio Judæorum, attamen si
 attendimus non tantum ad accentus, de quibus postea,
 sed & ad totam συνάφωαν textûs, facillè patet quod non de
 judiciis publicis sermo fit Mosi, sed generaliter de ob-
 servatione legis divinæ, & quid prævaricatoribus divi-
 nitus immineat!

V. Scilicet in toto Capite XXIX. Deuter. conti-
 netur συνεχῆ s. continuatio orationis exhortatoriæ præ-
 cedentis Cap. XXVIII. Commemorantur a. initio be-
 neficia divinitus præstita, in Ægypto vers. 1. 2. 3. 4. in pro-
 fectione per desertum vers. 5. & 6. in ipso primo aditu
 ac ingressu terræ promissæ, vers. 7. 8. Deinde Moses ne-
 minem, à summo ad imum, ab obedientia DEO præ-
 standa exlegem, sed omnes debitores & obligatos esse
 docet vers. 9. 10. 11. 12. 13. non vivos solum & præsen-
 tes, sed etiam posteros vers. 14. 15. subnectit causas &
 cautelas vers. 16. 17. 18. 19. Ultimo addit exaggeratque
 minas iræ divinæ contra prævaricatores v. 20. 21. & per
 profopopæiam sciscitantes causam devastat æ terræ intro-
 ducit posteros vers. 22. usque ad v. 28. subjungitur tan-
 dem clausula v. 29. הנסתר ליהוה אלהינו וגו'

VI. Alia adhuc Explicatio est, quæ accentuum
 ordinem graviter turbat, quâ in voce הנגלות sensus dis-
 rumpitur hõc modo: *occulta pertinent ad DEum & revela-*

6015
ta; nobis a. & filiis nostris in perpetuum in cumbit facere omnia
verba legis hujus; de quâ meritò dixit Aben Esra:
הגל רגל הפי בלא ראש ורגל sine capite & pedibus est. Nam eti-
amsi crassam illam Atnachi sive neglectionem sive trans-
positionem condonare *Autori* velimus, nullus tamen
sensus aptus & conveniens ex ejusmodi interpretatione
elici posset, ut constet, quænam illa vel occulta vel reve-
lata ad DEum pertineant, non ad homines.

VII. Sed verba ipsa etiam cujus sint, quæritur;
Mosis ne, an posterorum (sciscitantium & respondentium)? Sunt qui
Respondentibus, iisque fidelibus ac piis in populo Isra-
elitico residuis, assignant; sic ex *Nostri Mosese Pflacberus*
in *Analyse Typica*, aliique plures observante *Pelargo b. l.*
Quamplurimi verò *Commentatorum* ipsi tribuunt *Mosi*, li-
cet adhuc de sensu verborum sint diversissimi. Et
ipsum *Mosen* hic loqui, facile verborum sensus genui-
nus indicat, quem nunc investigabimus.

VIII. הנגלה accentu majore *Sakeph* notatur,
at oppositum illi הנגלה minoribus *Geraschajim*, qui *Pasch-*
tæ in voce לבניי subordinati sunt. Quæ res lamen non
obscurum præbet sensui verborum indagando. Quip-
pe hæc porportio accentuum posterioris commatis,
revelata illa objecto, cui *revelata* sunt, non contradi-
stinguens, sed subjiciens, docet, quod illa non habeant
inter se rationem subjecti & prædicati, ut vulgo acci-
piuntur ab Interpretibus, hõc modo: *quæ revelata sunt,*
nobis & filiis nostris sunt revelata; Ita enim oporteret vo-
cem הנגלה accentu *Rebhia*, vel planè *Sakepho* nota-
tam esse; sed quod conjuncta sibi hõc modo: *revelata*
nobis & filiis nostris, pariter vel subjectum vel prædica-
tum propositionis sint. Idem igitur licet per analogiam
de priore commate concludere, ubi ob paucitatem vo-
cum

cum, sensus solâ proportione accentuum ita specialiter distingui nequit; nempe, ne vertamus: *qua occulta sunt, penes DEUM sunt*, sed simpliciter: *Occulta penes DEUM*. Deinde ה emphaticum voci rectæ in utroque versus membro præfixum וְנִסְתַּרְתָּ & הַנְּגַלְתָּ uti certè frustra adjectum non est, sed determinatam significationem habet; ita non obscure identitatem subjecti indicat, cui utraque denominatio convenit.

IX. לִיְהוָה אֱלֹהֵינוּ procul omni dubio Dativus est: At si Latine verteris, *absconditum Domino*; sensus exurgeret satis horridus, qui omniscientiam DEI impugnet, quia id alteri absconditum esse dicimus, quod is ignorat. At hebræâ phrasi per ablativum, seu præfixum וְ effertur, quod latine per dativum, & ita semper constituitur verbum passivum נִסְתַּרְתָּ cum subjecto ignorante, vide Esa. XL. 17. נִסְתַּרְתָּ דַרְכֵי מִיְהוָה *abscondita est via mea à Domino i. e. Domino, seu dominus eam ignorat*. Dativi verò casûs in hoc verbo, alius sensus est, quem non infeliciter discimus ex I. Sam. V. 9. וַיִּסְתַּרְוּ לָהֶם מַרְסָעִים & *occultabantur illis marisca*; quæ certè ipsis illis, quorum hic morbus erat, ignotæ non erant, sed occultò locò ægrotis sedebant, nec aliis ita patebant, ut illorum membrorum tumores, qui honestius ostenduntur; Qui sensus ergò commodè vertitur per particulam *penes vel apud*. Hinc nunc sensus verborum ille erit: *Hæc abscondita penes DEUM*.

X. Ita igitur integræ propositionis sensus verus & genuinus facile patet, quem eo rectius invenimus, siquidem הַנְּגַלְתָּ emphaticum ad præcedentem omnem orationem Mosis se referre, animadvertimus. Nempe concludit ille promissiones morigeris & comina-

1016
minationes protèrvs factas, hęc epiphonemate; Sunt
hęc futuri temporis fata Deo soli cognita; (id enim fi-
bi volunt verba abscondita penes Deum) sed revelata nobis &
filiis nostris in perpetuum, ut servemus omnia verba le-
gis hujus.

XI. De punctis extraordinariis, quibus voces
לנו ולבנינו supernè notatæ sunt, mentionem esse apud
Talmudicos in libro *Sanbedrin* cap. 6, fol. 43. & de Antiqui-
tate & auctoritate illorum, aliorumq; similium in scri-
ptura Sacra occurrentium, satis prolixè commentatur
Phoenix Hebraistarum *Buxtorffius*, in *Tiberiade* (*Commenda-
tar. Masoretib. Cap. 17. in primis pag. m. 179.* Docetq; illa
non frustrà olim à *Masoretib;* apposita fuisse, sed alicuius
arcanæ priscorum Sapientiæ esse monumenta, hinc
& *Symbolica* illa appellat, minimeq; ex sacro textu extir-
panda. Rationem illorum hęc locò eam reddit *R. Sa-
lomo Jarchi*, quod innuant, neque ob manifesta peccata
impunita reum fore populum antequàm transfret jorda-
nem, & susciperet jus jurandum in montibus Garisim &
Ebal, mutuoque sese fœdere obligaret. Ideò scilicet
observationem mereri censet hęc verba nobis & filiis no-
stris, quod ad posteritatem potissimum hęc sanctio per-
tineat. Aliter *Henricus Ainsworthus* in *b. l.* continuam
obligationem populi in his vocibus notabilem observari
vult, *conf. si placet, Matth. Polum b. l.* Nos pro explica-
tione textûs nostrâ, rectius id innui dicemus, ut ob-
servetur, quàm præcipuè in memoriâ posteritatis hęc
scripta sint. Notum est aliàs, talia puncta etiam summos
viros ac Theologos digna judicasse, quæ accuratiori
considerationi commendarentur. Sic *Hieronymus* in
Quest. in Genesim, observavit Cap. XIX. 33. vocem,
וּבְקוֹמֵינוּ puncto supernè notatam, scribens, *Appungunt*
desu-

desuper, quasi incredibile, & quod rerum Natura non capiat, coire quempiam nescientem; Conf. si placet, Hackspan. Miscell. & Cabbal. Judaic. pag. 283. 310. 311. Sic B. Geierus Theologus ac Philologus laudatissimus, in Commentar. in Psalm. de punctata voce מְלִלָה Ps. XXVII, 13. scribit: Potius indicatur singularis ac notabilis fidei Davidica, in mediis etiam hostium impetibus, constantia ac victoria. Oponitq; dicta hæc Judæis ac Rabbinis fabulosis, imò falsis, nec non Coccejo nimis temerario in asserendo: *ideò punctatam esse vocem, quod abesse queat sensu illaso.* Similiter contra temerarium ac iniquum Censorem talium punctorum extraordinariorum, *Leusdenium*, pugnat Pfeifferus, in tractatu de Masora Cap. 3. §. 7.

MEMBRUM, III.

Continens præsidii Calviniani demolitionem,

I. Scholam & Ecclesiam Calvinianam nobis proponere Voluntatem DEI geminam, *unam in Verbo revelatam, quam & vocat signi, alteram arcanam sive absconditam, quam quoq; beneplaciti appellat, quis nescit?* Testantur hoc abundantissimè scripta, tum Calviniana, tum Theologorum nostrorum. Ex his videantur, præter *Fundamentalem Deducit. Marpurg. Cap. 2. pag. 66. 67. Himmelius, in Calvinismo s. Colleg. Anti-Calvin. disp. 3. tb. 12. 13. 14. Gerhardus Dispp. Theol. part. 1. disp. 6. tb. 1. p. m. 118. 119. Gisenius in Calvinism. disp. II. tb. 30. seq. Dannbauerus in Hodomor. Spir. Calvin. Phant. 6. §. 29. p. 1196. Alijque* Ex prioribus, sc. scriptis Calvinianis, præter illa ad quæ dicti

dicti nostri Theologi provocarunt, nominamustantum, *Wendelini Christian. Theol. Lib. 1. Cap. 1. Tb. 18. Explic. 2. pag. 90. & Lib. 2. Cap 5. tb. 15. p. 911. & Syst. maj. Lib. 1. capi. 1. p. 161. ac Lib. 2. Cap. 5. tb. 15. p. 1607. Wollebii Compend. Christian. Theol. Lib. 1. cap. 3. p. 12. Polani Synt. Theol. Lib. 4. cap. 6. p. 240. Maccovij Colleg. de Prædest. Disp. 2. pag. 4. b. Ravanelli Bibliothec. Sacr. Part. 2. Tit. Voluntas, num. 2. pag. m. 1512. Chamieri Panstrat. Tom. 3. Lib. 7. cap. 5. n. 10. & cap. 6. n. 3. ubi voluntatem signi seu revelatam, nominat *Evangelicam*, & beneplaciti seu arcanam, *Eudexiam*. *Sibelij Meditat. Catechet. part. 1. pag. 341.**

II. Nec plane abhorret ab hac distinctione, Schola ac Ecclesia Lutherana; Sic enim *Doct. Baltb. Meisnerus in Anthropol. S. decad. 2. disp. 12. qv. 1. S. 16. Distinctione hac utuntur tum Nostri tum Calviniani.* Haud omnino distinctionem hanc rejiciendam esse, fatetur *Hutterus in Explicat. Libri Christiana Concordia Artic. XI. de Elect. sive Prædestin. pag. m. 1064.* Similiter *Jac. Reneccius in Panoplia s. Armatura Theologica Tom. 3. Cap. 3. pag. 3. col. 2. Laudabilis Vetustas unam DEI Voluntatem nominat jam absconditam sive occultam, jam vero apertam sive revelatam.* Et *D. Micralius in Tractatu de Prædestinatione Lib. 1. cap. 8. tb. 3.* sic ait. *Distinctio Voluntatis DEI in arcanam & in revelatam in se non est improba, si rectè intellecta secundum diversa vel temporavel objecta, distinctè adhibetur.* Hinc & magnus noster *Calovius* in doctrina de Voluntate DEI ejusq; distinctionibus, primam hanc facit: *Voluntas DEI est vel arcana vel revelata. Illa in DEO abscondita & imperscrutabilis: Hæc a DEO patefacta per verbum, sed infallibilis.* *Vid. System. Tom. II. Cap. 9. pag. 442.*

III. Vox autem licet eadem & in Ecclesia vera & infalsa, nullatenus tamen mens eadem est. Lu-
the-

therana nostra per *Voluntatem absconditam* intelligit. interdū
Mysterium Evangelii ante universalem prædicationem; quip-
 pe quod vocatur *Mysterium æternis temporibus* *σσιγημέ-*
νον Rom. XVI, 25. à seculis & generationibus *ἀποκρυμ-*
μένον Col. I, 26. conf. Eph. I. 9. III. 9. & sic quoq; omnia
 Dei consilia, quatenus in ipsa Dei mente sunt, quæ ne-
 mo rimatur nisi ipse Spiritus Dei, quemadmodum scri-
 ptum est, *I. Cor. II. 11.* quæ eadem voluntas revelata dicitur,
 quatenus illa in scripturis S. declaratur, unde nos
 tanquam ex speculo, quod intuemur, eam discimus. Quo
 sensu aliàs etiam voluntas signi & beneplaciti apud or-
 thodoxos distinguitur, tanquam ejusdem voluntatis di-
 versa in Deo & in verbo ejus consideratio. Interdum
 etiam per voluntatem absconditam intelligimus particu-
 laria ejusdem *Dei judicia*, sive vias illas Dei *ἀεξιχνιάσις* i. e.
 impervestigabiles, quarum vestigia in mirabili gubernatione
 omnium ordinum vitæ humanæ, & cum primis
 Ecclesiæ, cernere licet. Quâ de re infra pluribus.

IV. Per *Revelatam* verò *Voluntatem*, nostra intel-
 ligit Ecclesia *ipsam doctrinam Evangelij* in sacro Codice
 comprehensam, per Prophetas & Apostolos enuncia-
 tam, quæ complectitur *omnia* ad salutis adeptionem ne-
 cessaria. Postquam enim DEus suæ Voluntatis & *ἐν δό-*
κίαις *Mysterium*, per præconium Evangelii patefecit,
 II. Tim, I. 10, beneplacitum DEI de dilectione & Redemp-
 tione totius generis humani per Salvatorem mundi, deq;
 salvandis credendis, nobis abundè est revelatum, Joh.
 VI. 20. Secretum enim suum servis suis revelavit, A-
 mos III, 7. & quod sapientes celavit, revelavit infanti-
 bus, Matth. XI. 25. nec quicquam *τῶν συμφερόντων* subti-
 cuit, quo minus *πᾶσα ἡ βουλὴ τοῦ θεοῦ* i. e. omne Dei confi-
 lium nobis annunciaretur Act. XX, 20. 27. Sic ergò
 Sapientia in Mysterio antea abscondita, quam prædesti-
 navit

1018
navit Deus ante secula in gloriam nostram, revelata est nobis per Spiritum Dei, ipsa Dei profunda scrutantem, I. Cor. II, 7. 10. Brevibus; *Voluntas Dei abscondita, in Ecclesia ac Schola Lutherana notat mirandam Dei gubernationem omnium ordinum, imprimis Ecclesia; Revelata verò, Consilium ejus de salute generis humani, quod patefecit per Scripturas.* Conf. Meisnerum supra citatum.

V. Longe autem alio sensu Schola & Ecclesia Calviniana terminos hosce exponit. *Voluntatem revelatam*, dicit esse universales Dei promissiones, quæ exterius quidem offerantur omnibus, & quibus declaret se Deus, quod velit omnium salutem & conversionem; interim verò intus diversam foveat sententiã, quam vocant absconditam, ratione cujus nunquam voluerit ut omnes homines convertantur & salvi fiant. Breviter: *Voluntas revelata*, Calvinianis est exterior Vox DEI, quæ *suavis*. Sed *arcana est interior sensus*, qui horrendus & *terribilis* est. *Ibi se omnes amare dicit, hic plerosque odit. Ibi vocat omnes, hic maximam partem reprobat, æternoque exitio destinat.* (Hæc iterum cum Meisnero. Conf. & Calov. System. Tom. 2. pag. 672) Videatur vel unus *Sibelinus*, qui in *Exeget. Catach. Heidelbergens. Part. 1. pag. 343.* satis prolixè & apertè impiam illam doctrinam, de arcana & revelata voluntate in Negotio salutis, proponit, sic scribens; *Paulum 1. Tim. 11. 5. de voluntate DEI revelata, que etiam signi dicitur, loqui affirmamus. Quamvis n. æterna ac arcana suo voluntate, quid de unoquoque fieri velit, decreverit: externam tamen salutis media quibusvis sine discrimine offert. Et sic omnes vult servari, respectu externæ prædicationis Evangelii, communisq. omnibus gratiæ obligationis & ad eam invitationis, quæ tamen in omnibus non est efficax. Etc. Etc. Iterum pag. 344. Quid quod contextus ipse & verborum in dicto Paulino connexus ostendit, de*

C

de, de voluntate DEI revelata sermonem esse ---. De occulta DEI voluntate, ac aeterno ejus Consilio, verba Pauli accipi nequeunt: alioquin Homines omnes certò & infallibiliter servarentur.

VI. Nec tantùm arcanam illam voluntatem ad actiones justitiæ ac misericordiæ adstringunt, atque ad judicia comminationibus legis & promissionibus Evangelii opposita, ut loquitur *Waleus LL. CC. Tom. 1. oper. p. 178.* sed & trahunt eandem ad peccata, contra voluntatem DEI revelatam, procurata & immissa. Testimonia hujus impiissimæ doctrinæ, (ne nimis prolixi simus, ipso- rum Reformatorum verba adducere nunc nolumus,) collegerunt jam olim Theologi nostri; sic *Calovius supra citatus pag. 443. conf. Tom VII. Cap. 3. Qu. 3. pag. 80. seq. Gerhardus, in Diss. Academ. Part. 1. Diss. 6. th. 1. pag. m. 118. it. Diss. 10. th. 5. pag. 510. & Diss. 12. th. 21. pag. 571. Wellerus in Anti-Masson. Part. 1. pag. 160. Micralius sæpius citatus Thes. 9. p. m. 332. 333.*

VII. Arcanam autem hanc voluntatem DEI cum commendant, & contra nos tuentur, sæpissimè provocant ad hoc Mosis oraculum de quo nunc differimus,

IX. Pater Calvinianorum, ipse *Calvinus*, in *Institution. Christiana Religion. Lib. 1. Cap. 17. sect. 2. pag. m. 37.* ubi illos refellit, qui arcanò & incomprehensibili DEI consiliò mundum regi negant, inter alia sic scribit: *Verum quidem est, in Lege & Evangelio comprehendi mysteria que longe emineant supra sensûs modum: Sed quoniam DEUS ad capienda hæc mysteria, que verbo patefacere dignatus est, suorum mentes intelligentia Spiritu illuminat: Nulla jam illic abyssus, sed via, in qua tutò ambulandum est, & lucerna pedibus regendis, & lux vitæ & certæ conspicuæque Veritatis schola. At mundi gubernandi admirabilis ratio meritò*

merito abyssus vocatur: quia dum nos latet, reverenter adoranda est. Pulchrè utrumq; paucis verbis expressit Moses: Occulta, inquit, DEO nostro: quæ autem hic scripta sunt, ad vos & filios vestros pertinent. Videmus enim ut non tantum ad Legem meditandam studium adicere, sed arcanam DEI providentiam reverenter suspicere iubeat. Et Libr. 3. Cap. 21. in quo doctrinam suam, de electione æterna, quâ Deus alios ad salutem, alios ad interitum prædestinavit, proponit, *sect.* 3. pag. 189. apertè ad Mosen provocat: Ea (scilicet distinctio) verò paucis à Mose verbis dilucidè exprimitur; Arcana, inquit, sua sunt DEO nostro; nobis autem & filiis nostris hæc manifestavit. Videmus enim ut studium doctrinæ Legis populo commendet tantum à cœlesti decreto, quia DEO placuit eam promulgare: populum verò eundem contineat in iis cancellis, hæc sola ratione, quia fas non est mortalibus se in arcana DEIingere. Quænam autem Arcana, hic Doctor horribilis decreti intelligat, satis clarè in præcedentibus ac sequentibus exposuit. Ipsam nempe Prædestinationem, in quam Homines inquirere non debent. Neq; enim æquum est (sunt verba ipsius Autoris, *sect.* 1. circa finem, pag. 186. col. 2) ut quæ in se ipso abscondita esse voluit Dominus, impune homo excutiat: & Sapientia sublimitatem (quam adorari & non apprehendi voluit, ut per ipsam quoq; admirabilis nobis foret) ab ipsa æternitate evolvat. Quæ nobis patefacienda censuit voluntatis sue arcana, ea verbo suo prodidit. Censuit autem quatenus nostra interesse, nobisq; conducere providebat. Illam intelligit Calvinus prædestinationem, secundum quam non pari conditione creantur omnes, sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaq; prout in alterutrum finem quisq; conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem prædestinatum dicimus. Sic iterum *sect.* 5. ab initio, pag. 187. col. 2. loquitur. Hæc sunt Calvino Arcana Jehovæ.

IX. Premunt vestigia Antecessoris sui, Calviniani facile omnes. Hinc *Dannbauerus* noster in *Hodorum. Spir. Calvinian.* Q. §. 52, pag. 256. *Frequens in ore dissentientium est dictum Mosaicum Deuter. XXIX. v. 29.* Nimirum, ut probent Voluntatem DEI absconditam, *Arcanaq; Jehova de Negotio Salutis*, licet non semper aperte fateantur, de quibus Arcanis verba Mosaica intelligere velint. Sic in genere de omnibus DEI consiliis, viis ac judiciis, *Mosen* quasi loqui, volunt *Junius* ac *Tremellius*, *Tossanus*, *Palatiniq;* Theologi in novissimo opere Biblico germanico, nec non *Ravanellus* in *Biblioth. Sacr. part. 1. Tit. Abscondere. pag. m. 21. col. a. num. IV. §. 2. & Part. II. Tit. Occultus. pag. 412. col. b. num. VII.* Sic *Sebastianus Castalio*, in Annotationibus suis apertissime: *Arbitror hic Mosen Evangelii arcana & alia innuere.* Sic *Wendelinus* in *Christian. Theolog. Lib. I. Cap. 1. Tb. 18. sect. 2. pag. 91 it. System. Maj. p. 162. Abscondita voluntas proprie sic dicta, est eternum & immutabile DEI decretum de faciendis vel permittendis in tempore plurimis, quae ignota sunt nobis, ex defectu patefactionis. Pertinet hoc illud Deut. 29. Vers. 29. Occulta Jehova DEO nostro: quae autem hic scripta sunt, ad vos ex filios vestros pertinet. Conf. Libr. II. Cap. V. Tb. 15. item *Syst. Maj. pag. 1607.* Sic *Casparus Sibelius* in *Exeges. Catech. Palatino-Belgica part. 1. pag. 341. §. 2. Voluntatem DEI (loquitur autem de Voluntate circa salutem humani generis æternam) distinguimus in arcanam & revelatam. Arcana est earum rerum, quas DEUS in sua ipsius potestate statuit & retinuit: uti Christus de novissimo die loquitur Act. 1. 7. Revelata verò earum rerum, quae in Veteri ac Novo Testamento nobis sunt revelata. Utriusq; mentionem Moses facit: Quae occulta sunt, penes Jehovam DEUM nostrum sunt: at quae revelata, nobis &c. Deut. 29. 29. Conf. quoq; pag. 745. & 747. Quam maximè tamen communiffi-**

mo

1020
mò consensu ad Arcana Prædestinationis applicant,
ceude Ludovico Crocio, Piscatore, Aliisque; testantur, Dor-
schæus contra Triglandum pag. 53. & Micrælius de Prædesti-
natione l. c.

X. Sed frustra provocant in hâc causâ ad Mosen,
qui arcana à revelatis non distingvit, ut supra ostendimus,
sed eadem quæ arcana sunt à priori, etiam revelata nunc
esse testatur, neq; de salutis æterno decreto, sed de pœ-
nis, quæ peccantem populum judaicum secutura erant,
loquitur. Neq; si omnino de illo locutus esset, & arca-
na à revelatis distinxisset, illa his opposita & contraria
fuisse, ullo modo indicat.

XI. Agnoscit id ex ipsis Calvinianis Pelicanus, qui
ad h. l. sic commentatur: *Quæ jam tam horrenda fata de-
scripta sunt, tam de perfidia inobœdientissima gentis, quàm
justissimo durissimog; judicio DEI punientis, sic habent in libro
providentiæ divinæ, ubi hæc olim ventura cum aliis totius mun-
di decretis, ordinibus, circa omnium regnorum gubernationem,
abscondita sunt omnibus Creaturis, nemo hominum ea præ-
scire potuit, nisi eis DEI gratiâ revelentur. Id quod & filiis
nostris Prophetis suo aliquando tempore futuris, & nobis cre-
dentibus DEI revelatione prædicabitur, firmag; persistent &
certâ veritate in secula multa. Scripta autem sunt fidelibus,
ut sacro sanctam legem omnipotentis DEI fideliter perficere
annitamur &c.*

XII. Haud tamen adversamur iis, qui arcana
DEI judicia, nec dum revelata nobis, & occultam pro-
videntiæ divinæ rationem, etiam circa dispensationem
gratiæ ad salutem vocantis, agnoscunt. Etsi enim gene-
ralis DEI benevolentia erga homines æqualis est, quan-
tùm ad intentionem finis universalis, ut reducantur ad
salutem, observamus tamen illam inæqualiter applicari

in distributione mediorum ad finem pertinentium. Atq; ut naturalia dona variant, dum aliis ingenium acrius datum est, aliis obtusius, ita & variare supernaturalia, ut aliis plus, aliis minus obtigerit, juxta parabolam Christi *Matth. XXV. 15. conf. 1. Cor. XII. 4.* etiam ut bonorum divinorum in bona terra sint inæquales fructus *Matth. XIII. 23. vid. Hulfemann. de Auxil. Grat. p. 105.* Ita vocatio aliis maturior, aliis tardior obtingit, apud alios ordinaria tantum, apud alios etiam extraordinaria media adhibentur. Prohibetur Paulus divinitus ne Evangelium annunciet in Phrygia & Galatia, sed nocturno somnio excitatur ut properet in Macedoniam, *Act. XVI. 6. 9.* Elapsô cœlitus fulgore & voce nominatim ad pœnitentiam vocatur idem, cum acris nominis Christiani hostis esset, *Act. IX. 3. seqq.* quod nemini alii contigit. Abrahami, & in ejus stirpe sola Jacobi posteritas eligitur ad prærogativam fœderis, erectiq; publici cultus & sonantis verbi prophetici, *Rom. IX. 4.* adeò ut exclamet David *Ps. CXLVII. 19. 20. docet Jacobum verbum suum, & Israellem leges suas; non ita facis ulli genti &c.* Vocatio gentium, quæ tempore Christi futura erat, definitum suum Tempus habuit, quod antequam venerat, suis illas viis permisit, *Rom. I. 24.* & toleravit magna patientiâ tempora ignorantiae *Act. XVII. 30.* Neq; causari possumus DEUM jam tum scientiâ aliquâ mediâ prævidisse illorum omnium extremam pertinaciam, quod futurum sit, ut neq; moniti à prophetis, aut miraculis divinis excitati, ab impietate converterentur. Nam ipse DEUS aliud testatur, audituros esse ignotæ linguæ populos siquidem illuc mitteretur propheta *Ezech. III. 6.* & Christus Tyrios ac Sydonios conversos fuisse, quin ipsam Sodomam excidium suum effugisse docet, si illa coram ipsis miracula facta essent, quæ

1021
quæ Chorazini & Bethsaidæ ac Capernaûi facta sunt, *Matth.*
XI. 21, 22, 23. Unde Apostolus ipse mirabilem illam dis-
pensationem divinam, quæ circa vocationem omnium,
tam gentium quam Judæorum occurrit, hõe epiphone-
mate prosequitur *Rom. XI. 33.* *O profunditatem divitia-
rum & sapientiæ & cognitionis divinae! quam imperscru-
tabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? quis
enim novit mentem Domini, aut Consiliarius illi extitit?*
Enim verò ratio certa reddi nequit, quare uni genti ci-
tius quam alteri lux Evangelii vel affulserit, vel ob ingrati
animi morositatem adempta sit. Quæq; in totis gentibus
inter se comparatis ratio est, eadem etiam est singulo-
rum ratione judicii divini. Non omnes mendaces cita
pœna abripuit, ut Ananiam & Sapphiram *Act. V. 5. 9. 10.*
nec omnes desperabundi in ipso momento, quò manus
sibi violentas inferunt, ad fidem & sanam mentem re-
vocantur, ut custos carceris Paulini *Act. Act. XVI. seqv.*
*conf. si placet, Ægid. Hunnij Oper. Lat. Tom. 1. Traçt. de Præde-
stinat. p. 818. seqq. it. Rungij Prælect. in Exod. p. 322.*

XIII. Sed immane quantum hallucinantur, qui
Arcanis DEI Consiliis & Judiciis, nec naturæ nec gra-
tiæ lumine unquam pervestigandis, accensent bonam
DEI voluntatem, quæ homines generaliter omnes, qui-
bus Evangelium prædicatur, ad salutem ducere cupit,
quippe, de qua non omisit Paulus omne consilium DEI
aperire *Act. XX. 17.* nempe æternùm salvatum iri, seu vasa
gloriæ futuros eos, qui per gratiam perseveranter cre-
dunt *Job. III. 36. VI. 41. Matth. XXI. 13. Marc. XIII. 13.*
I. Cor. I. 21. 1. Tim. I. 15. 16. II. Thess. II. 13. II. Tim. I. 7. Jac.
II. 5. ex adverfo æternùm damnatum iri, vel vasa igno-
minia manfuros, qualia sunt per naturam, qui finaliter
impœnitentes & increduli sunt. *Job. III. 18. 19. Marc. XVI.*
18. 19.

18. 19. *Marc. II, s. 6. II. Theff. I. 8. 9.* Nullum ergò amplius de his in Deo absconditum seu occultum consilium, quod his regulis detrahat, & salutem nostram, qui illis innitimur, in periculum adducat.

XIV. Notent hic quam diligentissimè Calviniani, & credant ex toto corde, quæ Palatina Catechesis (quanti verò illa ab Ecclesiæ Reformatæ membris æstimanda sit, ex Actis Synodi Dordrechtanæ, Sessione CXLVIII. pag. m. 433. patet) quæstione 31. profitemur: *Christus summus Propheta & Doctor, qui nobis ARCANUM Consilium & omnem Voluntatem Patris de Redemptione nostri patefecit.* Germanicè sic: *Christus ist der Oberste Prophet und Lehrer / der uns den heimlichen Rath und Willen Gottes von unser Erlösung vollkômmlich offenbahret.* Ad quæ verba rectissimè *Sibelius in Meditat. Sacr. part 2. pag. 104.* sic scribit: *Consilium DEI absconditum nullam nobis consolationem, nullam redemptionem, salutem nullam præstat, nisi reveletur: nec DEI voluntas nostra vel fidei fundamentum, vel vita regula esse potest, donec nobis exponatur & innotescat. Ergò patefactione Christi & illuminatione Sancti Spiritus hic opus est. Et iterum pag. 107. voluntatem omnem Patris de nostri Redemptione Christus nobis patefecit. Belgica exemplaria habent, vollkômmlich / perfectè. Neq; enim partem consilii & voluntatis DEI de nostri redemptione revelavit, partem reticuit: sed omnem DEI voluntatem patefecit.* Ergò nunc ex ipsissima Adversariorum confessione, nullum adhuc superest absconditum in Deo Consilium de salute hominum. Cur itaq; tale amplius ex Mose probare conantur? Cur idem ipse *Sibelius?* ut supra thesi 9. adduximus. Sed ita ludere solent, qui mentem habent Calvinianam, linguam verò Lutheranam.

XV. Differunt igitur objectis, arcana & revelata

VO-

voluntas, quod enim reconditum est apud Deum, quæ tale revelatæ voluntatis objectum non est. Circa salutis negotium quidem Deus noster multa arcana occultaq; sibi ac soli suæ Sapientiæ reservavit, sed non de salutis negotio. Hinc *Formula Christiana Concordiæ* in articulo de æterna prædestinatione & electione Dei pag. m. 811. eleganter sic loquitur; *Accuratè discrimen observandum & retinendum est, inter id, quod DE hoc negotio expressè in sacris literis revelatum est; & inter ea quæ non sunt revelata. Præter illa enim de quibus hætenus dictum est, & quæ in Christo manifestè revelata sunt, multa adhuc de hoc mysterio reticuit & occultavit, eaq; soli suæ sapientiæ & scientiæ reservavit. Talia investigare, cogitationibus nostris indulgere, aliquid de iis statuere aut scrutari nobis non licet, sed toti à verbo Dei revelato, quod ipse nobis proponit, pendere debemus. Hæc admonitio in hoc mysterio apprime necessaria est. Ea enim est corruptæ naturæ nostræ curiositas, ut magis iis, quæ abstrusa & arcana sunt, indagandis, quam iis quæ DE hoc negotio Deus in verbo suo Nobis revelavit, cognoscendis delectemur: præsertim cum quadam in hoc mysterio tam intricata & perplexa occurrant, quæ nos in mentibus nostris, acumine ingenij nostri, conciliare non possumus, sed neq; id nobis à Deo demandatum est. Videantur quoq; reliqua quæ sequuntur pag. 812. 813. 814. Confer, si placet, Hunnium de Prædestinat. Tom. 1. Oper. Latin, pag. 817.*

XVI. At neq; Calviniani videri volunt ejusdem objecti oppositas in Deo voluntates agnoscere, sed distinctos volendi modos conciliari inter se posse censent, non minus quàm nos antecedentem & consequentem Dei voluntatem distinguimus, nempe voluntatem revelatam esse voluntatem obligationis seu præcepti, arca-

D

nam

nam esse operationis, quâ non vult movere homines eâ gratiæ efficaciam, quâ opus est ad implendum id quod iusserat; Ita *Wendelinus Exercit. IV. contra Gerhard.* Sed audacior *Maccovius in LL. CC. p. 183, § 212.* nodum secatur, cum voluntatem revelatam reapse voluntatem aliquam Dei esse negat, & solam arcanam seu beneplaciti voluntatem propriè dictam voluntatem esse agnoscit, illam alteram, nihil aliud esse, ait, quam verbum Dei.

XVII. Sed neutrum estugium prodesse potest commentis illorum. Non *Wendelianum*; Nam voluntas obligationis & operationis secundum Calvinianas hypotheses sibi sunt directò contrariæ, dum non sub certo & determinato eoque sufficiente operandi modo Deum id velle concedunt, quod efficacissimam quavis operandi vi producere non vult, quemadmodum nos distinctionem absolutæ & ordinatæ DEI voluntatis explicamus, quâ omnes vult ad salutem adducere, nec adducere tamen irresistibili virtute; sed omnino Deum nolle effici censent, quod tamen præcipit. Si enim homines destinat interitui simpliciter ex mero beneplacito, nulla ratione vult id ab eis præstari, quod illi fini disconveniens est, & cum idem tamen præcipit cum obligandi voluntate, vult idem fieri etiam; Quod absurdum. Id quod evitaturus Amyraldus, alteram voluntatem fecit conditionalem, sed suspensam à conditione simpliciter impossibili, quod in idem recidit absurdum. Non *Maccovianum*; quia nihil est verbum Dei, nisi ipsa eius voluntas & consilium signis expressum. Quicumque præcipit, promittit, minatur, declarat voluntatem de obligatione, spe & timore alterius, de quibus rebus quarum obligatio, spes & timor est. Et sic si verbo divino contrarium dicitur ejus, quod tacite apud se decrevit

vit Deus, contradictio oritur ipsius voluntatis. Desperatus est elabendi conatus, cum Deum simulare causatur, & ut à blasphemia se liberet, omnem simulationem negat esse malam. Ita certè contradictio directa non erit in voluntate ipsa, quia simulata voluntas, reapse voluntas non est, erit tamen in signo & signato, verbo & voluntate, quæ pugna semper mala est. Simulatio non est mala cum non est in signo determinatæ significationis, neq; ad tristè & malū finem. Ut cum Christus videbatur velle progredi *Luc. XXI.* progressurus certè nisi precibus detentus; Aut, cum Abraham jubetur mactare filium *Gen. XXII.* mactaturus etiam nisi revocatur. Qui jubet fieri id, quod prohibetur est postea, non determinatè affirmat aut promittit, fore ut res eventum suum sortiatur, nec mandatum revocetur, vult tamen ut ille jussus, quantum in se est, agat ad finem illum assequendum. At qui id imperat quod absolutè fieri non vult & promittit, quod præstare non intendit (ut in negotio salutis Deum introducunt Calvinistæ) dolosè atq; pessimè agit, quod absit, ut de Deo cogitemus.

XIIX. Omnis hæc absurditas inde oritur, quod distinctionem voluntatis antecedentis & consequentis ferre non possint, rati antecedentem necessariò conditionalem fore, Deum autem à conditione alieni motûs dependere non posse. Sed falluntur viri, cum (1.) inter absolutam & conditionatam voluntatem nolunt agnoscere intermediam ordinatam, quæ ordinata rectè etiam vocaretur absoluta, si vocem ab æquivocatione liberet. (2.) Majestati Dei derogari putant, quod homo sine divina motione ad pravam, repugnantiam se determinare ipsum possit, & inde Deum ad pœnas com-

movere. Voluntas antecedens non est conſequenti contraria, quia diverſa conſideratione objecti diſtinguitur, neque conditionalis propriè, ſed pura etſi ordinata, neque ſi vel conditio eſſet, Deo indigna foret, quo potius indignum eſt, auctorem malorum motuum videri. Et ſic nulla eſt cauſa rejiciendæ hujus, & illius alterius ſubſtituendæ diſtinctionis.

XIX. At illi tandem ad autoritatem Lutheri tanquam ultimum adverſus nos telum, provocant, deq; ejus Viri conſenſu mirè glorianſur. Sic *Parauſ in Irenico Cap. XXVIII. Artic. VIII. pag. 260. Audi etiam Lutherum, de ſervo Arbitrio c. 109. 116. Vult omnes ſervari, voluntate revelata, ſeu verbo predicato: Non vult omnes, voluntate arcana, & imperſcrutabili: Multa ſiquidem facit Deus quæ verbo ſuo non oſtendit nobis, multa quoque vult, quæ verbo ſuo non oſtendit ſeſe velle.* Sic *Sibeliuſ in Meditat. Catechet. part. 1. pag. 344. 345. Et Wendelinuſ in Chriſtian. Theol. lib. 1. cap. 1. Theſ. 18. Explic. 3. pag. m. 93. dicit, Lutheri Deum abſconditum eſſe contrarium revelato, Hocq; ut probet, allegat B. Viri verba ex Genef. cap. 6. pag. 124. edit. Wittenb. Hanc (electionem occultam) animo complecti non poſſumus, & videmus eam pugnare cum voluntate Dei revelata. Sed longè multis nominibus hoſ viroſ errare, ac Luthero noſtro alieniſſimam affricare mentem, jam olim clarè ſatis & ſufficientiſſimè demonſtrarunt Theologi noſtri. Ad quos nunc quoq; B. L. brevitatiſ ſtudio remittimus. Videatur *D. Job. Behm. in Colleg. Theol. publ. de ſervo Arbitr. B. Lutheri Diſſ. XV. a pag. 305. uſq; ad pag. 319. & p. 455. ſeqq. D. Jac. Welleruſ, in Ant-Maſſon. part. 1. diſſ. 8. pag. 292. --- 300. & 741. --- 754. D. Job. Gerharduſ, Diſſ. Theol. part. 1. diſſ. 6. th. 4. p. m. 122. D. Sebaſt. Schmidiuſ, de ſervo Arbitr. B. Lutheri, Annotat. (dd) pag. m.**

pag. m. 152. seqq. D. Job. Olearius, in continuata Isagoge Carpz. ad LL. Symbol. pag. 1678. seq. nec non D. Balthas. Meifnerus, in Anthropol. Sacr. Decad. 3. Diss. 23. th. 64. & seqq. ii. Marpurgenf. Special. Refutat. Αμοιβ. part. 1. cap. 18. pag. 403. 407.

MEMBRUM IV.

ET ULTIMUM.

Repræsentans Versionis Lutheri vindicationem.

I. Quia versio B. Lutheri hæc: das Geheimniß des Herren unsers Gottes ist offenbahret &c. intentioni Calvinianorum planè repugnat, & distinctionem arcanæ ac revelatæ voluntatis evertit, ipsis etiam exosa, nostris grata esse solet, inde corollarium aliquod contra ipsos deducimus, quòd in revelata Dei voluntate unice oporteat acquiescere, quia scriptum est: *Dent. XXIX, 29, Myſteria Domini Dei nostri revelata sunt nobis & filiis nostris &c. conf. Chytræi Comment. h. l. p. 136. it. Luc. Oſiandri Biblia glossata.*

II. Sed quid ad hæc Calviniani? Exagitant & exsibilant, tam verbis quam factis, Versionem hanc. Imprimis quam maximè ac contumeliosissimè eandem flagellat *Sixtinus ab Amama, in AntiBarbaro Biblico*. Graviter simul in B. Virum Lutherum invehitur, ac illius ἀβλεψία & nescio quid aliud carpit. Verba Autoris sunt Lib. II. pag. 595. *Hanc egregiam & auro contra non caram sententiam, commodè & satis expressit ipse Vulgatus Interpres. Eò magis miror indiligentiam & dormitationem B. Lutheri, qui & neglecto Accentu Aibnach in voce אלהינו & insuper habita litéra Fav ante vocem הנגלות* que alterum illud axioma

cum priore copulat, sic vertit; das Geheimniß des Herrn
unseres Gottes ist offenbahret uns und unsern Kindern
ewiglich / daß wir thun sollen alle Wort dieses Gesetzes
ewiglich. *Quæ in Belgica nostra translatione sic versa re-
peries: De Heymlyckheit des Herren onses Gods is ons
ende onse Kindern geopenbaert eeuwichlick etc. Quicquid
ad hunc textum ab interpretibus conuectatur, non illustrando
verbo DEI, sed Lutheri afferitur.*

III. Perplacet mens iniqua *Sixini*, omnibus fi-
dei sociis, imprimis illis qui ex hoc loco Mosaico aper-
tissime probare conantur DEUM suum absconditum,
ejusq; voluntatem absconditam; ut sunt *Piscator*, *Wen-
delinus*, *Jac. Triglandus*, *Ludovicus Crocius* &c. Contra
quos tamen suo tempore acriter ac felicissime pugnarunt
ex Nostris, *Dorschæus*, in *Interpell. necess. ad Medit. Triglan-
di Diss.* 1. Sect. 1. cap. 1. pag. 57. *Michaelius de Prædest. Lib. 1
cap. 7. th. 15. pag. 338.* *Dannhauwerus in Hodomor. Spir: Cal-
vin. part. 1. pag. 283, seq. adde ex recentioribus Dn. Doct.
Pfeifferum in dub. Vexat. Cent. II. Loc. XLI p. 317. seq. nec non
D. Job. Olearium, in Continuat. Jfagog. Carpx. in Libb. Symb.
pag. 1682.*

IV. Subscribit quoq; durissimæ illi Censuræ;
clarissimus in Schola Altdorffina Theolog. & Philolo-
gus *Hackspanius* in *Notis Bibl. ad b. l.* sic differens: *Optan-
dum esset ut B. ille Vir (Lutherus) excusari queat, verum si
ad fontes recurrimus, negare non possumus, ipsum hic insi-
gniter lapsum esse. Quid minus enim Versio ipsius stare
possit, sequentia obstant.* 1. *Prefixum Uau in voce והנהגות
quod indicio est, hoc participium à priore debere sejungi* &c.
&c. II. *Accentus Atnach in voce אלהינו qui accentus distin-
guit in commata & cola, quem Lutherus insuper habuit* &c.

III. 4

1025
III. 4 quod nomini proprio יהודא prefixum est. IV. Participium הנסתרות quod miror nec Lutherum in textu vertendo, nec Amamam in Lutbero vellicando observasse. Si enim esset in regimine positum, non potuisset dici הנסתרות cum Kametz, sed הנסתרות cum Scheva.

V. Nulla tamen adest justa causa, inter omnes has, quas Hackspanius affert, quare Versio hæc tanto obelo notetur, quæ certè & phrasi & contextui Mosis satis convenit, nec verum ejus sensum immutat, utut verba ipsa non satis pressè videatur sequi.

VI. Quæ enim illa quæso & quanta indiligentia, quod literam, in voce והנגלה non expresserit? Annon hujus particulæ usus varius est, ut pro ratione orationis alia atqve alia ejus ratio habeatur? Et annon eòdem recidit, si quod distinctè dicitur *arcanum esse & revelatum*, conjunctim dicas *arcanum revelatum*? Ita igitur Lutheri nullum est peccatum in sententiam, etsi ex duabus propositionibus fecit unam, quia ipso sensu apud Mosen idem est, quod distinctis verbis effertur.

VII. Accentum Atnach insuper haberi, mirum est ab Hackspanio & Amama objici, qui vocales & accentus (non minus quam aliquando Lutherus) pro invento Rabbiorum & additamento rejiculo habent, vel habere didicerunt, & propterea alibi securè negligunt. Id enim à Præceptore Drusio edoctus est Amama, vid. Drusii Opusc. de recta lectione Ling. Sanctæ cap. 4. pag. 6. & Hackspanius passim prodit, vid. ejus Miscell. p. 225. & Not. Philog. passim. Interim neuter rationem accentuum Hebræorum habuit cognitam cum id objiceret. Quippe accentus non habent vim distinguendi absolutam, ut commata & cola Latinorum, sed merè relatiyam, quatenus nempe

nempe sibi invicem subordinantur certâ propositione. Unde sæpius eadem Propositio Athnacho interpungitur, qui subjectum à prædicato, vel utrumq; ab objecto distinguit, ut statim primus versus Geneseos exemplum prodit. Ita nullâ ratione adversa est accentuatio versus Versioni Lutheri, neque obstat Athnach, quo minus quæ præcedunt pro subjecto, quæ sequuntur pro prædicato accipiantur.

IIX. Ineptior est Censura, quæ à præfixo ה petitur, quæ etsi dativi nota sit hõc loco, sensu tamen convenit cum Genitivo; quæ enim sunt *abscondita penes Deum*, sunt *abscondita sive mysteria Dei*. Attamen à Drusio Præceptore (*Vid. Drusij Gramm. Lingv. Sanct. in præfat. circa finem*), discat Amama etiam ה Genitivi Casus indicium esse, qui in *Tractatu de Literis Mosche Vechaleb. Lib. 2. cap. 6. p. 37.* hanc dat regulam Grammaticam: *Lamed ponitur articuli loco ante Dativum casum, & ante Genitivum.*

IX. Tandem de statu vocis הַנְּסִתְרוּת vel absoluto vel constructo, non est quod multa perdamus verba. Neq; enim regimen locum habet, nisi in immediata vocum conjunctione; cum verò particulae intercedunt, seu præfixæ vocibus literæ, quæ illas jungunt, malè poscitur immutatio vocalium in voce præcedente. Unde quæ sine ל dicerentur הַנְּסִתְרוּת לֵי

jam rectè dicuntur לֵי הַנְּסִתְרוּת eodem sensu.

Atq; ita Versio Lutheri ab iniquis Censuris fatis vindicata erit.

SOLI DEO GLORIA!

1020
J. C. SCHOMERUS, D:

gratulab. scripsit:



Vi sancta cœli nos doces
mysteria,

Deiq; mentem consonam
semper sibi

Stylo disertio aciq; virtu-
te asseris,

Athleta fortis, mysta ver-
bi candidus,

Conscende doctum **WINNEME-**
RE pulpitum,

Et cinge frontem fronde lætus laureâ,
Quæ te merentem nunc manet lau-
dabilis.

Vicit Sophistarum strophas industria,

Adversus hostes alma vicit veritas,

Lux ipsa verbi dispulit caliginem,

Panditq; menti quæ putat recondita.

Docente Te Moses refulget denuo,

Et

Et veritatis certa stant oracula,
Calvine cede, cede censor Amama,
Et quisquis hîc litem Lutherô concitat,
Dignus tenebris, dum remotas non
cupit,
Vanâqve mente absconditum quærit
DEUM.

Te **WINNEMERE** lætus omni-
um bona

Applausus inter astra sublimem ferat.

Velamen ut rudi legenti subtrahis,

Et conspicari gratiam cœli jubes.

Illis opaca nox sit, inter horridas,

Quotquot latebras considerare mavo-
lunt;

In luce Tu versare clarus publicâ.





III. Ḳ quod nomini proprio יהיה *præ-*
um הנסתר *quod miror, nec Lutberum*
Amamam in Lutbero vellicando obse-
in regimine positum, non potuisset dici
sed הנסתר *cum Scheva.*

V. Nulla tamen adest justa
 has, quas *Hackspanius* affert, quare
 lo, notetur, quæ certè & phrasi &
 convenit, nec verum ejus sensum in
 ipsa non satis præse videatur sequi.

VI. Quæ enim illa quæso &
 quod literam, in voce והנגלה non
 hujus particulæ usus varius est, ut
 nis alia atqve alia ejus ratio habeatur
 recidit, si quod distinctè dicitur *arc-*
 conjunctim dicas *arcantum revelatum.*
 nullum est peccatum in sententiam
 positionibus fecit unam, quia ipsi
 idem est, quod distinctis verbis effe-

VII. Accentum Atnach infu-
 est ab *Hackspanio* & *Amama* objici, q-
 tus (non minus quam aliquandò *L-*
 Rabbitorum & additamento rejec-
 re didicerunt, & propterea alibi se-
 enim à Præceptore *Drusio* edoctus e-
Opusc. de recta lectione Ling. Sanctæ cap.
nus passim prodit, vid. ejus Miscell. p.
passim. Interim neuter rationem a-
 rum habuit cognitam cum id objice-
 tus non habent vim distinguendi ab
 ta & cola Latinorum, sed merè r-

1025
 Participi-
 rtendo, nec
 enim esset
 Kametz,

er omnes
 anto obe-
 losis satis
 ut verba

iligentia,
 Annon
 e oratio-
 n eodem
 revelatum,
 r Lutheri
 bus pro-
 d Molen

, mirum
 & accen-
 o invento
 vel habe-
 unt. Id
 vid. *Drusii*
Hackspan-
t. Philog.
 Hebræo-
 pe accen-
 comma-
 quatenus
 nempe

